

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICA

D E

GENESI MORBORUM

ERUDITOS AFLIGENTIUM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET  
DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARIS-  
SIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM IN ALMA AC CELEBERRIMA  
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE, PESTINI, PRQ  
OBTINENDO

GRADU MEDICINAE DOCTORIS

CONSCRIPSIT,

JOANNES HORVÁTH

NOBILIS HUNGARUS ZEMPLINIENSIS

---


Theses adnexae defendantur in Universitatis Palatio ma-  
iori die 3 Augusti anni 1836.

---

B U D A E

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

**EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO  
DOMINO DOMINO ·  
COMITI  
ANTONIO MAJLÁTH  
DE  
SZÉKHELY**




**REGNI PRO-CANCELLARIO, INCLYTI COMITATUS ZEMPLINIENSIS  
SUPREMO COMITI, ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO,  
SACRAE CAESARIO-REGIAE ET APOSTOLICAE MAJESTATIS  
CAMERARIO etc. etc.**

V I R O  
DE PATRIA MERITISSIMO  
EX SINGULARI VENERATIONE.

HASCE  
LABORUM SUORUM  
PRIMITIAS  
DEDICAT.

Auctor.

## P r o o e m i o n.



Pro inaugurali themate theoreticam lucubrationem practicae praeponere mihi placuit. Scripsi itaque de passionibus eruditorum, non quod plenam pathologiae imaginem mihi profunda concesserit scientia, nec quod novae horum morborum theoriae condendae animus fueroit aut vires: sed quod hoc objectum huc adusque per paucos tantum decantatum non ampliore, sibi vindicet experientiam, atque intellectus rationisque magis pateat lumini. In quo opusculo numero .absolutum quid non me

praestare potuisse, quod limae criticae subiici  
dignum fore, benevolus lector lubens indul-  
gebit.

Dabam Pestini die 3 Augusti 1836.



AUCTOR.

# De Vita Literatorum.

## §. 1.

**N**omen literatorum, nunc arctiores, nunc ampliores limites inter restringitur, ut sint, qui hoc insigne nomen omni, quorumcunque munus circa res versatur ad literas spectantes, tribuant, sintque rursus, quibus non nisi hoc nomine condecorari placeat, qui scientiis excolandis atque perficiendis omne navant studium vitamque dicant suam. Attamen summa effectuum, gradu solum discrepantium analogia, quos eruditorum munus lato stricto significatu sumtum in processus vitalis modificatione, producit, me permovit, ut literatos sensu latiori praeponerem strictiori.

## §. 2.

Itaque loquendum est de literatorum passionibus, quarum nascatur ut firma idea, paucis prius rem attin-gemus verbis. Vitae generis eruditorum tantam esse vim in omnem vitalem activitatem, ut nulla sit actio organica, nulla organi functio, quae inde non multifaria patiatur in vitae suae manifestatione modificatio-nes, alienationesque, non flocci profecto non faciendas, hinc fit, ut omnis inde pendeat sanitas relativa, et princeps statuatur momentum in genesi morborum.

## §. 3.

Siquidem vera sanitatis idea constare nequit nisi vita integra destinationi humanae respondeat, atque si ea destinatio humana censemur, quod homo vivat vitam vegetativam, vitam animalem, atque vitam altiorum, quae consistit in operationibus mentis: eam in vita literatorum modificatioem summe generalem offendimus, ut depressa paulo vita vegetativa, atque animali, altior sit vita intensa, cui paucis elucubrandae diutius inhaerendum.

## §. 4.

Vita altior mentis operationibus est peragenda, quae vitam vere humanam reddit, eaque sola hominem ad summum dignitatis humanae splendidissimumque fastigium extollit. Cum vero haec prae aliis in eruditis maxime eminet priorem meretur propinquioremque considerationem. Diversissimas esse, quibus activitatem suam, mentis humanae operationes, prodit, cuique per bene notum, omnes vero tam areto interse jungi ne-  
xu, ut se invicem adjuvent, se se sustentent, atque excipient. Quae singulae varium quum admittant culturae gradum, eunque variis in operationibus hanc raro summe differentem, patet, cur aliis in alias non nunquam accrescat vigor, ut reliquae consopitae fere, et vinculis quasi strictae videant. Merito itaque contenditur, omnes hasce ex unico redundare principio activo, quod varia manifestatione activitatem exerit suam.

## §. 5.

Quum nulla principii activi habeat locum manifestatio, nisi quoque sit per substratum materiale, sua quoque organa requirit omnis mentis officientia, quibus illa gravissima est ad ipsam mentem relatio, ut sugge-

stas, atque susceptas naturae externae imagines, et quas ipsa mens producit, et reproducit, cogitationum simulacra, huic ipsi obversentur atque praesentent, huiusque rursus reactiones recipient spontaneas. Organa haec summae dignitatis, nomine organorum sensum internorum venientia, sensorium constituunt commune, atque centrum uniens totius systematis nervosi. Omnis itaque mutatio, quam processus vitalis per mentis operationes patitur, primo exsurget insensorio communi, quo mediante per nexum varium organicum supra omnem diffundetur organismum humanum.

### §. 6.

Quae si ita sint, mentis efficientia proximo influet in processum vitalem in substrato eiusdem materiali vigentem, et per hunc ipsius organisationis rationem afficit. Quae processum vitalem concernunt, mutationes haud aliae esse possunt, quam quas in incitatione atque vegetatione animadvertere licebit. Incitationis mutatio contingens in organis ex substantia nervea potissimum constructis, motum nervosum imprimis incitatum exhibebit, quem mentis actio non alias, nisi stimuli leges, sequi valet. Hanc ipsam stimuli vim intendit major sanquinis ad sensorium adpulsus, factorum simul vitalium ratione mutata. Hac ratione efficitur, ut sub moderata mentis operatione, moderatum provocetur motus nervosi ugmentum verum, cum energiam eiusdem, tum celeritatem intendens. — Non minor erit vegetationis mutatio. Stimuli actio cum aucto motu nervoso vividiorem simul vasorum sensorii reactionem excitans justo majorem laticis purpurei copiam allicit, quam quae vasorum capacitati ad normam respondentи conveniat. Validiorem inter vitao factores conflictum inde provocari, atque productionis organicae augmentum effici cum consumtione aequa validiori,

obscurum erit nemini. — His itaque in unum innctis patet, per mentis operationes verum processus vitalis in organis sensorii communis augmentum invitari quod moderatum inter sauitatis adhuc sphaeram continetur. Id ipsum vero vitae augmentum gradu discrepare in diversarum operationum manifestatione, ut pote multifariam reactionis intensitatem sibi expetentium, per suam cuilibet esto. Quid? quod cadem mentis efficientia pro ratione vigoris vitalis antea quum in toto corpore, tum in organis sensorii praeprimis praesentis, vires vitales haud aequabilimodo ubique intendat.

### §. 7.

Vitalis haec in organis cerebralibus ratio suum influxum exeret: 1) in ipsius mentis efficientiam. 2) In incitationem totius organismi, et 3) in eiusdem productionem organicam.

1. *Mentis humanae activitas licet vitam cerebralem intendat, eadem tamen in ipsam mentis efficientiam ut reagat, necesse est, quod ex relatione mentis humanae ad organa sensuum internorum in §. 5. adducta abunde patet.* Vita itaque cerebralis elata mentis quoque operationibus alacritatem communicabit suam, illi prae aliis, in qua exercenda mentis tunc activitas eminent.

2) *Incitationem totius organismi in intimo nexus versari cum vitali ratione in sensorii communi vigente, constat.* Triplex vero commercium hoc loco in censem vocandum: a) cum sensibus externis, b) cum systemate nervoso ganglioso, c) cum systemate musculari voluntatis nisui obtemperanti.

a) *Organis sensuum externorum, magnam totius systematis nervosi partem constituentium, gravis est nexus organicus cum illis sensuum internorum, qui altiorum adhuc ex eo nanciscitur dignitatem, quod iidem sensus externi praecipuum materierum penum menti huma-*

nae suppetant, ex quibus cognitiones sibi et proprium mundum creat, nec ulla fieri possit mentis in mundum externum reactio, nisi quae per sensus externos dirigatur. Varius autem pro varia mentis operatione in organis sensuum externorum cernitur incitationis status, ut sint mentis operationis, quae cum alacriori sensuum externorum activitate peraguntur, sintque rursus, quae eorundem sensuum activitatem pedissequam languentem habeant. His autem fusius illustrandis alias adhuc erit locus.

b) Nexus intercedens inter systema nervum cerebrale interque gangliosum, leges antagonismi quum potissimum sequatur, efficit, ut incitato processu vitali in systemate cerebrali vitalis vigor in systemate ganglioso paulo deprimatur, cuius rei effectus per varias vitae vegetativae functiones palam reddentur. Hanc vero incitationis relationem antagonisticam in ratione directa constitutam esse, ratio dictat atque experientia confirmat.

c) Motus muscularis per voluntatis imperium directus, cum sensorio communi in nexu positus, qui per consensus leges regitur, eam sub intensiori sensorii activitate experitur mutationem, ut consensus normalis paulo imminuatur. Singularem tamen ad motum muscularum voluntarium rationem involvit varium eruditorum officium, quippe quod validiorem nunc saepius tamen minus consonum variorum organorum motum, nunc vero plurimorum muscularum voluntariorum requiem exquirit. Quid? quod variae corporis positurae sumnum hic exerceant influxum.

3) Qualis sub hac processus vitalis conditione exsurget productionis organicae ratio, paucis exponent sequentia. In organismo ex generali actionis vitalis lege fundatur relatio mutua systema nervosum inter et vasorum, qua fit, ut eminens vitae vigor in utroque systemate alternet. Quum itaque hac ratione ipsa sa-

nitas typo quotidiano subjiciatur, eadem quoque lex vallebit, si causa qualicumque vitalis vigor in alterutro systemate intenditur. Quod quum in rerum praesentia fiat in systemate nervoso altiori, utique asserere licet, vitam vegetativam, qualis ex systematis vasorum actione organica procedit, aliquam pati depressionem, quod tamen damnum per vitalem vigorem ad systema vasorum rursus reversum resarciri queit. — Cui porro non latet systematis gngliosi in productionem organicae vis, eidem nec latebit vitalem rationem, qualis in hoc systemate supra illustrata fuit, non efficere non posse, quin productionis organicae energia minuatur. Quamobrem patet, vitae vegetativae varian subeundam esse mutationem in singulis momentis metamorphoseos quum progradientis tum regredientis, saepe uniuscero tamen vix animadvertiscendam.

### §. 8.

Intimum commercium, quod productionem inter organicam, et organisationem viget, efficit, ut mutata vegetationis indole, ipsa quoque organisatio in mixtione, et forma metamorphosim suam subeat: eamque maiorem, quo gravior est vegetationis affectio. —

Culmen itaque disquisitionis circa eruditorum vitam factae est, per mentis operationes quibus intensioribus literatorum munus eminet, vitae energiam in organismis cerebralibus exaltari, eandem vero in reliquo organico contextu imminui; quae operationes, si non ultra tempus protrahuntur, vitalem activitatem intra sanitatis sphaeram continent; sin vero minus, fertilem sistunt quum dinamicorum, tum et organicorum numerosissimorum morborum scaturiginem.

### §. 9.

Facili quis negotio seduci potest, ut contendat processus vitalis vix expositum ad forum pathologicum iam

fore vocandum, quippe qui harmoniam actionum organicarum manifeste turbatam offerat. — Ast ad harmoniensem actionum organicarum, et functionum concentum mentis culturam aequa requiri ac aliorum organorum exercitium, nemo inficias ibit. Ab hac mentis operationes, quales ab eruditis exercentur, non nisi gradu divergunt. Ipse autem processus vitalis ad certam quidem quantitatis, et qualitatis normam, ast non inter angustissimos limites restrictus, hanc normam ad certum usque gradum transcendere poterit, quin morbi imaginem illico gignat. Quid? quod lege immutabili eamdem quantitatis, et qualitatis rationem continuo servare nequeat. Quam obrem inorganis cerebralibus ad certum usque gradum elatus processus vitalis, inque organis vitae vegetativae dicatis depresso, nec dum generabit morbum, quin tamen negetur, eundem vitae sanae statum in morbosum facile deflectere posse. — Porro organicorum sensorii moderatnm exercitium vim vitae aequa, ac in aliis organis corroborabit, ut moderata pro stimulo receptivitate valida praesto sit reagendi facultas. — Tandem nec illud reticendum videtur, eruditorum munus quod si inse spectatum morbum produceret, idem de quovis alio vitae genere contendendum fore.

#### §. 10.

Multifaria officia literatorum involvunt differentiam vilem non habendam. Pro diversitate objectorum, circa quae eorum activitas eminent, triplicem classem censeo statuendam: 1) complectitur illorum numerum, qui circa rerum naturalium contemplationem, et disquisitionem versantur. 2) Eorum, qui idearum sublimium meditatione detinentur. 3) Denique horum, qui utrumque activitatis objectum amplectuntur.

#### §. 11.

1. Quibus rerum naturalium contemplatio atque disquisitione praecipuum vitae officium sistit, validum exhibe-

bent sensuum externorum exercitium, quorum ope cognitionum materiem hauriunt. Huic autem negotio mens humana acquiescere non valet, sed accidente abstractio-ne, et reflexione conceptus generales formare intendit, sub qua operatione sensum internorum exercitium requiri-tur haud leve; phantasiam vero saepe numero mag-nam hic ludere scenam constat. Accedit, quod motus muscularis variam sub hocce vitae munere intensionem, atque extensionem patiatur.

2) Illi, qui meditatione potissimum occupantur sensus internos maxime intendunt. Etenim quae per intellectus, et rationis operationes peragitur, meditatio sibi expetit abstractionem ab omni alia perceptione aliquae simulacro et attentionem in praesentem praesenta-tionum seriem. Quod fieri vero ut possit requirit con-continuam atque tam vividam simulacrorum in sensibus internis excitationem, quae sensuum externorum per stimulos suos sollicitationem supereret. Ut vero ipsa me-ditatio continuetur, necessaria est continua representa-tionum comparatio, coniunctio, atque seiunctio, nova-rum productio atque consociatio. Id quod absque organorum sensorii continua incitatione eaque citissime re-petita peragi nequit. Sub hac gravi vitae cerebralis in-citatione motus muscularis voluntati obtemperans ut plu-rimum languet. Hinc abunde patet, quam nimium tale officium sibi expetere processus vitalis robur, nisi se-rius ociosus divitem morborum fontem sistat.

3) Qui utrumque vitae officium iungunt, eruditii am-bas quoque vitae modificationes unient.

### Morborum Genesis.

#### §. 12.

Fundata itaque, et expedita quantum licuit, notio-ne de vitali modificatione per eruditorum munera,

transeundum nunc est ad conceptum morbi faciendum. Cum ergo singulus, ut lucem conspiciat, morbus, duo requirat momenta, agemus itaque de illis, et quidem de dispositione ad morbum, qua momento interno, atque de potentias morbificis qua momento externo, quatenus in specifica relatione versantur cum dispositione ex vitae genere prodeunte, actione earumdem diversimode inde modificata.

### §. 13.

Dispositio ad morbum, docente Cel - Hartmann, statum illum sistit organismi vivi internum, quo ad suscipiendam potentiae morbificae actionem, et morbi conceptionem aptus redditur. Divisitque dispositionem in generalem, atque specialem. De generali ad morbos dispositione sermonem faciendum nullum opusculi finis docet. — Solum itaque agendum nobis erit de speciali morborum dispositione, cuius fontem in eruditis vitae genus sistit.

### §. 14.

Serio quis si reputaverit, qualem per diversas mentis operationes patiatur modificationem processus vitalis, et organisatio, huic magna inde ad morbos dynamicos, et organicos genita dispositio elucebit; id quod faciliori perspicietur negotio, si eadem dispositio quoad quantitatem, et qualitatem seorsim spectetur.

## De Dispositione quantitativa.

### §. 15.

Quantitativa Dispositio gradum designans ad morbos quoscunque, definitur per aetatis, sexus, temperamenti atque habitus corporis diversitatem, quin connata simul praeter videatur dispositio.

1-o Quum processus vitalis differat, et organisationis humanae vigor, et indoles in variis evolutionis et regres-

zionis stadiis, sane diversae intensitatis sub variis aetatis periodis erit totius organismi, et organorum cerebralium reactio interna, imo nec aequalis est pro mentis operationibus receptivitas. Hinc varius manat dispositionis gradus.—Aetas tenera omnium organorum, maximam tamen systematis nervosi teneritudinem, atque minorem energiam internam offert, praedominante ubique summa sensibilitate atque irritabilitate. Vitalis vigor in organorum Cerebralium evolutione plenaria atque confirmatione occupatur; conscientia sui ipsius nascens; mentis cultura inchoans illarum non nisi facultatum exercitium admittit, quae in proximo cum sensibus externis commercio versantur; facillima tamen inde defatigatio atque exhaustio. Patet inde, rem non esse levem, in tenerrima adhuc aetate versantes laboribus literariis jam jam obruere. Vegetationem inde gravissime adfici atque integrum organismi evolutionem inde summopere retineri, quotidiana testantur exempla, nec non praematuram saepe saepius induci mentis hebetudinem. Crescente aetate crescit vitalis vigor, atque, reactionis robur; minor hinc aetatis juvenilis, et virilis dispositio, sub qua major mentis facultatum cultura, exercitium intensem atque extensem sine nova institui queit. Sub senio crescit rursus dispositionis gradus, totius organismi rigiditas, et vitalis torpor reactionem solito majorem non sine magna virium consumtione perferre valent.

2.) Haud minus ac extimenteris nunc adductis ex temperamentorum diversitate procedit dispositionis gradualis discrimin. In hominibus, qui insigniuntur temperamento, quod dicunt sensibile vel aequa volatile, facultatum mentis magna observatur agilitas, praedominante imprimis phantasia. Magna ingenii abundantia in iis literatorum muneribus, quae phantasiae vigorem sibi expetunt. Tanta ingenii volubilitas atque processus vitalis agilitas efficiunt, ut mentis operationibus solito in-

tensionibus aut protractis celeris defatigatio inducatur atque exhaustio, unde magna pro potentiis nocentibus receptivitas, adeoque et magna ad morbos dispositio. — Majorem iam et mentis vigorem, et processus vitalis universi energiam offert temperamentum energeticum; omnium vero maximam temperamentum irritabile seu robustum. Ingenium acre ac perspicax in illo, profundum ac penetrans in hoc; meditationibus favens, languente tamen phantasiae vivacitate. Minoritaque prae reliquis dispositio. — Temperamento cum processus vitalis universi torpore aequalis plerumque adnexus est languor facultatum mentis. Eadem hinc dispositionis ratio, qualis sub senio contingere solet.

3. Prout singulis temperamenti suus respondet corporis habitus, ita et dispositionis gradus secundum eamdem normam mensurandus est. Emergit autem ex inaequali et minus consona ad organismi reliquum systematis nervosi evolutione in quibusdam individuis habitus nervosus dictus, similem praebens dispositionem, quae temperamento sensibili vix tributa fuit; ast gradu majorem. — Validam quoque dispositionem exhibet habitus apoplecticus, ob summam ex vasis cephalicis sanguiferis praeter normam evolutis congestionis pronitatem operationibus mentis paulo intensioribus minime favens.

4.) Denique nemo negare poterit dispositionem conflatam saepe numero a' genitoribus ad filios nepotesque jure quasi haereditario propagari, teste experientia; quapropter connatae nomine insignitur.

Haec itaque sunt, quae circa dispositionem quantitativam loquenda proposuimus.

### De Dispositione qualitativa.

#### §. 16.

Qualitativa ad morbos dispositio dicitur ille status organisini humani vivi, quo hic adcertum morborum or-

dinem, genus, ac speciem proclivis redditur, cuius disquisitioni mens nostra curatius diutiusque inhaerebit. Ex illo vero momento considerationem instituendam censeo, ubi dispositio ipsa ad altiorem elata gradum, faventibus conditionibus circumstantiisque, in morbum prorumpit apertum; id quod in eruditis fit causa duplici oblata:

1.) Si facultatum mentis activitas nimia intensione, et longiori peccat protractione;

2.) Si earundem facultatum partiale instituitur exercitum atque cultura.

### §. 17.

Activitas facultatum mentis si nimis intendatur, iustoque diutius protrahatur, excedens generatur processus vitalis in sensorio communi incitatio, cum ulterioribus virium vitalium et organisationis mutationibus supra expositis, gradu tamen altioribus. Attamen clarior evadet res, si ad illud discriminem respicietur, cuius in §. 10. et 11. mentionem fecimus.

### §. 18.

Si illam classem literatorum oculo acutiori consideramus, cuius individuorum praecipuum munus circa res naturales contemplandas, atque disquirendas versatur, animadvertere est, processus vitalis incitationem praeprimis in organis sensuum externorum exsurgere, utpote hoc loco imprimis activis. Oritur inde sensibilitatis exaltatio, congeritur sanguis uberior ad haec organa, magna ad phlogoses pronitas, magna in nutritiōnis, et secretionis vitia inclinatio, vitiata simul inde organisatione; tandem debilitas ac paralysēs. Eadem incitatio facultatum mentis activitatem partim retinet, partim turbat, quippe quae suggestarum per sensus externos materierum cognoscendarum abstractionis tempus non concedit. Magna hinc atque continua imaginationis agitatio deflectentis ab intellectus rationisque legibus; eius-

deū activitas invita quoque mente. Perit tandem norma-  
 lis sensuum internorum ad externos relatio, ut repre-  
 sentationes per sensus externos suggestae a sensationi-  
 bus internis haud amplius discernantur; pervigilium  
 inde, et delirium, imo et ipsius Vesaniae, Ecnoiae,  
 Ethymiae, vel ipsius Ecbuliae nonnunquam generatio.  
 — Porro concipi potest facillimo negotio, quantopere sub  
 hacce mentis intelligentis passione, mentis sentientis  
 volentisque manifestaciones aegerrime quoque procedere  
 debeant. Affectuum itaque quum excitantium, tum depri-  
 mentium acque ac passionum successio frequens atque  
 summe nociva. — Re ita constituta, atque conversa omni  
 processus vitalis energia ad systema nervosum cerebra-  
 le, laeditur magnopere actionum vitalium functionum  
 que harmonia. Sensibilitatis systematis nervosi elatae  
 vasorum particeps sit sistema, unde motus continui fe-  
 briles, cum magna citoque virium et materiae consum-  
 tione, debilitas ubique versatilis, sat cito increscens,  
 quum reproductionis relate ad consumtōnem magnus sit  
 languor, idque ideo materia organica reproducitur im-  
 perfecta, nec ad altiore elevatur dignitatis gradum. —  
 Quae vix allata majorem adhuc nanciscuntur perspicui-  
 tatem, si ad motus muscularis rationēm respiciatur, qui  
 in illo eruditōrum munere, de quo sermo est, nunc ex-  
 cedens, nunc languens animadvertisit. Etenim evenit,  
 ut viri scientia insignes rerum naturalium nexum, et  
 rationēm perscrutandi causa longis, atque molestissimis  
 saepe itineribus detineantur, quo quidem detrimentum  
 ex mentis nintia intensione praecavetur, ast nova pro  
 morbis ansa exurgit, vel ex eo, quod omni Athmosphae-  
 rae vicissitudini expositi, discriminī quoque ex pecu-  
 liari climatis atque nutrimentorum indole proficiscenti  
 obnoxii evadant. Hinc casus haud infrequens, qui mon-  
 tium praealtorum adscensum tentant. haemorrhagiis cor-  
 ripi saepe praecipitibus. — Accedit rorsus, ut erudit  
 sub hoc vitae negotio vitam sedentariam, ut dicunt, vi-

vere cogantur. Quo in casu effectus proficiscentes ex neglecto motu musculari convenient cum iis, in subsequens paragrapho exponendis.

### §. 19.

Officium quorum circa philosophicas meditationes versatur, eruditorum valetudo dubio magis loco posita prioribus. Etenim quae absque magna mentis intensione, atque organorum cerebralium defatigatione peragi protrahique nequit, meditatio profunda, ratione simul habita ad reliquas organismi conditiones, fertilis existere potest plurimorum morborum scaturigo, si nimia evadit. Effectus inde promanantes concernunt: 1.) Organa cerebralia ipsamque mentem. Conversa videlicet per processus vitalis in organis cerebri exaltationem vitae energia ad haecce organa, eadem non solum voluntatis organis, et musculis, sed toti etiam subducituae systemati vasorum. Efficitur magnus sanguinis ad encephalon adpulsus, dira cephalaea, inquietudo, pervigilium, dispositio ad encephalitidem, ipsa vesania, Mania praे aliis, magna in affectus excitantes et passiones propensio. Hos effectus excipiunt postea phaenomena debilitatis torpidae, videlicet impotentia functiones mentis exercendi, amnesia, vertigo, animi dejectio, et vesania torpida. — 2.) Reliquum systema nervosum, cuius vitalis conditio in intimo nexu cum vita cerebrali: Vitali vi in encephalo excedente totius nervei systematis exaltatur sensibilitas, sensationum dolorificarum saepe cito alternantium magna copia, inquietudinis, atque anxietatis, caloris atque frigoris alternantis sensus, epilepsiae, Chorea St. Viti, aliarumque spasticarum, atque convulsivarum affectionum generatio. Sequuntur postmodum torpor, anaesthesia, anodynia, paralysis, apoplexia. — 3.) Systema reproductivum: Humorum circulus ab initio per nerveuni influxum intensior, deficiente tamen energia interna; postmodum languor circuli ac respirationis, totius ve-

getationis vigor fractus, digestio prava, dispepsia chronica, anorexia, degeneratio acida chymi, et mucusa, flatulentia continua sursum, ac deorsum, alvinae deiectionis tarditas, assimilatio imperfecta, sanguinis tenuitas aquosa, vel spissitudo mucosa, vel et laticis huius penuria, eiusdem in venis accumulatio, stases in vena portarum, in glandulis aliisque visceribus, hypocondriasis, haemorrhoidum productio; secretiones, et excretiones aliae cohibitae, minima reactio in rerum externarum, praeprimis atmosphaerae influxum, rheumatalgia, arthritis, et podagra; cachexia tandem universalis, febris depascens. — Augentur autem hi effectus atque sustentantur per motus muscularis ut plurimum languorem, atque per frequentem ac protractam sessionem, vel corporis statum erectum, quo sanguinis circulo aliunde jam turbato, majora ponuntur adhuc obstacula praeter organa abdominis, illa pectoris quoque infestantia, idque eo magis, quum sequelae aëris stagnantis, non debite renovati huc faciant; congestiones itaque ad organa pectoralia, pneumonorrhagiae, aut hydrothoracis metus justus. — 4.) Organisationis depravationem: Producitur vasorum in encephalo conditio abnormis, aneurismata, varices, pronitas in apoplexiā sanguineam, hydatides, excrescentiae morbosae, eadem vitia in aliis cavis; accedit dispositio ad hernias, prolapsus, calculorum felleorum, et urinalium generationem.

Demonstrasse itaque videor, quam ancipiti loco posita sit salus virorum scientia clarissimorum, nec mirum amplius, cur, quos ingenio excellentes admiramus, eosdem valetudinarios semper cum morbo ac morte luctante lugeamus.

### §. 20.

Qui utrumque conjungunt eruditorum munus, observationem atque meditationem, dispositionem quoque exhibent, medium locum tenentem inter eas, quae in

§. §. 18. 19. adductae fuere. Medicorum per saepe minus ad hanc normam refere referendum. Pauca verba hic adhuc facienda puto de singulari ad morbos proclivitate, quae iis ex sublimi Medicinae scientia accrescit, quippe qui cognitionibus imbuti, quae morbi notitiam, decurrenti rationem, atque variam terminandi sortem concernunt; quare insuper, quibus difficultatibus saepe saepius therapeuticum officium prematur, tanto facilius a sensu communi decepti haud raro adducuntur, ut morborum ingruentium vel neglectum vel immodicum faciant augmentum, quo saepe fit, ut, qui superari potuissest morbus antea, aut arduus nunc evadat sanatu, aut omnipotem penitus resquiat medelam.

### §. 21.

Quod si facultatum mentis partiale instituitur exercitium atque cultura, damnum primo invadit ipsius mentis activitatem, rationem petens ex turbata facultatum consociatione harmonica. Etenim quae justo majori solertia colitur mentis facultas una alterave, sublato pro reliquis excolendi tempore, dominio potita ceterarum denum omnem opprimit activitatem. Imaginationis facilis est praevalentia, cui vel tanta non nunquam elatio, ut insolita simulacrorum ab eadem provocatorum vivacitas exoriatur, atque celerrima imaginum consociatio, vel e contra imaginationis praecipitatio, qua illorum, quae imaginatio produxit, arebus externis, distinctio cessat. Res denique eoperducitur, ut imaginationibus operatio ab intellectus rationisque legibus deflectat; continua inde per phantasmata vexatio, inquietudo, pervigilium, delirium, extasis, melancholia, mania melancholica, etc. — Quanta ipsa vita cerebralis exinde patiatur, ex praegressis facile intelligitur. — Haud raro fit, ut sensuum externorum aliis aliasve in eruditis instituatur cultus, reliquis incultis relictis. Inde non solum harmonia in systemate nervoso altiore, verum et in reliquo

organismo tollitur. Qui minus colluntur, sensus potentissimis morbificis magis patent, humorum circulus inaequalis, organorum evolutio, et omnia inde fluentia mala.

## De Potentiis nocentibus.

### §. 22.

Quae in relatione singulari ad processum vitalem, qualis ex eruditorum munere procedit, versantur, potentiae morbificae ad sequentes referri possunt: 1) operationum mentis aut omnium, aut singularum intentio nimia; 2) Animi affectus et pathemata; 3) motus muscularis, atque 4) Somni defectus; 5) Potulentorum stimulantium, nec nou 6) Veneris modum excedens usus; 7) Variorum obiectorum vis morbifica singularis.

### §. 23.

Vis noxia, quae exoperationum mentis intentione nimia in vitalem actionem redundat, in §. §. 18. 19. 20. perlustrata est.

### §. 24.

Si gravis ac communis affectum pathematumque ad processum vitalem relatio in proprium ad vitalem activitatem, qualis in eruditis procedit censem vocatur, magna patebit eorum in morborum provocationem vis. Etenim ea animi affectum et pathematum est vis indolis sive excitantis sint sive deprimentis, gratae aut ingratae, ut totius systematis nervosi et functionum illius harmonicum turbant concentum, operationum mentis tollant consociationem, activitatem eiusdem provocent aut inaequalem aut continuam exagitationem et mentis, et voluntatis. Turbae hae ad musculos per voluntatem directos propagatae, eorumdem actionem reddunt inaequalem; ad systema, vero vasorum reflexae omnium

functionum inde pendentium, circuli respirii, secretio-  
nis atque excretionis provocant anomaliam: Quae si  
conferuntur cum magna ad easdem turbas dispositione  
ex eruditorum munero prodeunte, computata in super  
magna ad animi affectus et pathemata proclivitate, pro-  
fecto per spiciet quisque, quam facilis inde morborum  
plurimorum generatio. Quid? quod id eo facilius sit:  
quo major est pronitas in effectuum oppositorum saepe  
ac pathematum variationem, quo fit, ut vitae nerveae  
eo gravior nascatur afflictio atque exagitatio, citiorque  
producatur exhaustio. Est tamen in diversis animi  
affectibus atque pathematibus vis nocivae gradus, ut sint,  
qui modum non excedentes vitae fluxui amicum addant  
stimulum, id quod de spe, laetitia, amore, nec non  
de ambitione moderata contendere licet; sint vero rur-  
sus, quorumvis nociva ex natura sua summopere inten-  
datur, quod de affectibus, et pathematibus ingratis si-  
ve excitantibus sive deprimentibus asserere licebit. Irae  
nec non invidiae pronitas ac vis deleteria eminent. —

### §. 25.

- Si de motu musculari verba fiunt hoc loco, defi-  
cens non nisi in computum vocandus, quum excedenti-  
bus rarer sit in eruditis occasio, et effectum inde pen-  
dentium a communibus vix singularitas, deficientis ve-  
ro frequentissima ansa atque effectum maior numerus. Li-  
teratorum perquam plurimorum est muneribus in sedentis  
aut stantis vacare corporis positione, quo fit, ut necessi-  
tate saepe non evitanda coacti, de motu musculari neglecto  
dolectant, quod, si iusto longius protrahitur, nullo mo-  
do compensari poterit, atque integrum demum sanita-  
tem non pessundare non debet. Memores dispositionis  
ex ipsa vitali modificatione provenientis, facile perspi-  
ciendum, quam celeri passu effectus motus muscularis  
neglecti non adparere non possint, quin et alios simul  
pedissequos habeant, ex motu proprio non proficiscen-

tes. Effectus ipsi proximo concernunt musculos, quorum functio organica impedita, vegetatio imperfecta, teneritudo, mollities, reactionis imbecillitas. Prae aliis extrema artuum patiuntur, quorum infirmitas nascitur, vegetatio circa articulos retenta, secretionis synovialis anomalia, rigiditas articulorum, quin et ankyloseos genesis.

Pars nervea, qua systema muscularare regitur, cum musculi vita interna in intimo nexu posita, vera notatur debilitate, ad omne propaganda nerveum systema. Ipsi tandem systemati vasorum praecipuus detrahitur stimulus ex quo respirationis, circulationis, atque digestio- nis inertia, metamorphoseos progredientis indoles im- perfecta, muci crudi, et albuminis abundantia, deficiens iusta croris atque fibrae proportio, caloris evolutio minor, cachexia pituitosa cum sequelis omnibus vix evitandis, inter quas stagnationes in vasis lymphaticis atque venis, praeprimis abdominalibus, viscerum ob- structiones, haemorrhoides, pedum varices, menstruo- rum anomalias, leucorrhoeam, varios in viscerum si- tu errores, hypocondriaseos atque hysteriae genesim non praevertendam, atque summam in omnem cachexi- au pronitatem commemorare oportet. His effectibus, sane invidendis illi se se adiungunt, qui ex aeris cor- rupti aut saltem non debite renovati respiratione redun- dant, de quo alio loco iam erat sermo. — Silentio ta- men praetereundum non est, motu musculari neglecto, musculos nonnunquam singulis functionibus propicien- tes excedente activitate peccare. Exemplo ut utar ora- trum, quorum munus sequelis malis eos obnoxios red- dit, quae ex muscularum, vocem, loquelas, respira- tionem regentium nimia ac violenta per saepe intentio- ne in organa thoracis redundant.

## §. 26.

Nullum sane vitae munus, quam eruditorum, magis ad vigiliam invitat, quippe qui silente strepitu ac clamore diurno, nocturno tempore eo solertius officiis incumbere queunt. Licet itaque lucentur, quod diurno fragore maiore mentis intentione opus sit, tanto majus tamen ex vigiliis protractis capiunt detrimentum. Effectus procedentes pares sunt iis, qui ex nimia mentis intentione scaturiunt. Fieri itaque nequit, quin numero, et intentione multum augeantur.

## §. 27.

Non exiguum exercent potulenta stimulantia influxum in vitam eruditorum. Quae modica quantitate ingreruntur, potulenta vinosa bonae qualitatis, et sincera studiis exhaustis egregium sistunt stimulans, et gratisimum proviribus vitalibus reficiens. Quod quum sit magna est apud eruditos ad vinosorum usum invitatio, facillima hinc ad abusum ansa. Tanto gravius autem inferunt damnum, quo magis immodeius est illorum usus, quippe quae incitatam per ipsa studia actionem vitalem magnopere adhuc intendunt, debilitatem augent, eamque redditum indirectam, praeprimis vero in eruditis ad organisationis degenerationes, cachexias, et calculorum urinalium generationem eximiam inducunt dispositionem. Frequens quoque apud literarum cultores est portus coffeeae usus. Quae tostione ad infusionem praeparantur, semina Coffeae sub hac praeparatione principiil Tanini acidi gallarum, et olei empyreumatici productiōnem experiuntur, unde ipsi infuso magis autem decocto, adstringens communicatur vis, iuncta cum narcotica et stimulante. Hinc sponte fluit, non solum nervos inde affici, sed potens simul provocatur ad congestiones abdominales et cephalicas proclivitas, quae praesente iam ante hac dispositione, magnam ad morbos

varios provocandoſ conferunt ſymbolam, interquos gravamina haemorrhoidalia, cephalae, digestionis anomalies, eminent. Potus fabarum Coffeae eo maiorem meretur attentionem in eruditis, quo maiorem nocturno tempore ſomni arcendi gratia eiusdem uſum faciunt,

### §. 28.

Si, quem venefis abuſus producit, effectus omnis reducitur ad humorum plasticorum diſpendium inane, totius systematis nervosi energiam exhaustam, genitalium functionum infirmitatem nec non tabis peculiaris productionem, negari ſane non potest, hosce effectus facilius poſſe, et altiori imo gradu debere produci in eruditis, in quibus tanta iam adeſt ad excipiendoſ hosce effectus praeparatio, depreſſa vegetatio, atque energia nervorum ſaepe ſaepius labefactata. Effectus inde promanantes non abludunt ab iis, quales in omnī homine animadvertere licet,

### §. 29.

Obiectorum, circa quae eruditorum industria versatur, natura ſiſtit, ſaepe potentiam nocentem ſummae dignitatis, ſumma vero obiectorum varietas eamdem quoque potentiam reddit diversam. Quantis quaeso, quamque diversis potentiis infestis obnoxii ſunt, qui chemiae ſtudium navant, et vitam! Singularis autem obiectorum natura peculiarem quoque illorum ad organum relationem determinat.

### §. 30.

Cuncta, quae conſiderationi huic uſque ſubjecta, ſi adamuſſim ducuntur, illustratum videtur atque expositum, quantae insidiae ſtruuntur vitae virorum Clarissimorum ſcientiarum culturae immersorum, eaeque numero maiores, quo intensius fervet ſtudium. Ast forte manu infringitur insidiarum viſ nociva per vitae ſapienſiam ex ſcientiarum ſocietate genitam, perque magnas ubique parandas vitae delicias.

# L i t e r a t u r a

## Auctores Monographi.

**Sim. And. Tissot, de valetudine Literatorum.** Leipz.  
Schwickert. 1769 8.

**Eben derselbe.** Von der Gesundheit der Gelehrten,  
aus dem Französischen übersetzt. Leipz. Müller.  
1775 8.

**Eben derselbe.** Anleitung für Gelehrte und Personen  
von einer sitzenden Lebensart in Absicht auf die  
Gesundheit; nebst Gli Sucher's Anleitung zur Ge-  
sundheit des Geistes, oder Naturgeschichte der  
Weisen. Hamburg, Typographische Gesellschaft.  
1768 8.

**Fran. May's Auszug aus dem Vorlesungen über die Le-  
bensart der Studirenden.** Heidelberg. Pfahler 1786 4.

**Feyiov's Diätetik vorzüglich für Studierende,** aus dem  
Spanischen in's Englische, und aus diesem in's  
Deutsche übersetzt, vor Ch. F. Michaelis Zittau.  
Schöps 1790 8.

**J. H. Jördens über die menschliche Natur,** oder die  
Mittel ein hohes Alter zu erreichen, zur Beherzi-  
gung für junge Studierende und Personen, die sich  
einer sitzenden Lebensart widmen. Leipz. Göschen,  
1797 2 Bände gr. 8.

**Sin. And. Tissot's Versuch von den Krankheiten vor-  
nehmer und reicher Personen an Höfen,** aus dem

Französischen (1770). Nürnberg Felsecker 1777.  
gr. 8.

J. Ch. Gli. Ackerman über die Krankheiten der Gelehrten und die sicherste Art sie abzuhalten und zu heilen. Nürnberg 1779 8.



## T h e s s.

---

1. Sanguis vitalitate gaudet.
  2. Contagii susceptio, et Fœcundatio processus homonymi sunt.
  3. Blenorrhoicum et syphiliticum virus diversum.
  4. Actio narcoticorum actioni frigoris æqui paranda.
  5. Influxus beneficus coordinationum politico-me dicarum in salutem generis humani aquovis agnoscendus.
  6. Lux specifice in nervos, calor in vasa agit.
  7. Graviditatis extra uterinae non datur certa diagnosis.
  8. Imaginatio luxurians fons fertilissimus morborum psychicorum.
  9. Dolor et voluptas duo vitae custodes, et tendit atrumque in vitae exitium, dum est nimium.
  10. Venae non solum sanguini ex arteriis revenerunt, sed et resorbitioni humorum dicatae sunt.
  11. Mors generationi, non vitae opponitur. —
-